



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 454. De Gherberti traditione familiæ in Anhemathium intra pagum
Enterigawi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114


§. 454.

Tradidit gherbert pro filio suo renoldo I familiam in *anbematium* (9).

et gubernante Corbeiam Walhone,

§. 455.

eundem *Ootonem*, filium *Burchardi*, dummodo Corbeienfes nostri, patrem abbatis *Walbonis* *Ootonem* fuisse comitem in pago *Hlifgo*, vel bona tenuisse in eodem pago, addidissent et luculente memorassent. Interim nobis probabile videtur, abbatem *Walbonem* referendum esse ad familiam *Scartfeldensem*. Cum enim *Boda* tenuerit bona in pago *Hlifgo*, et filium habuerit nomine *Walbonem*, cui verisimiliter nomen inditum est, a patruo suo *Walbone* abbate peritum; *Bodo* eiusdem abbatis frater non esse non potuit. Eadem hæc consanguinitas probabiliter in causa erat, cur supra comes *Dodico*, *Bruno*, *Raginheri*, *Maginhardus*, *Immed*, *Bernhardus*, *Amalungus* atque alii bona quedam donarent Abbatie nostræ. Hi enim omnes agnati et cognati fuerunt abbatis nostri *Walbonis*, si is, ut videtur, *Immedi* frater fuit. Si hæc ita fuerint, avus maternus eiusdem abbatis *Walbonis* fuit *Immed*, et *Walbo* fuit consanguineus *Paderbornensis* episcopi *Meinweri*. Seriem genealogicam tabula sequens clarius ob oculos ponet. En illam.



Quodsi id obicere velis, hæc non esse probabilia, eo quod ex eo consequatur, *Meinvercum* episcopum in propria seuiisse viscera, tunc respondemus, mortalia pectora trahi sæpius honoris et auri sacra fame. *Meinvercur* episcopus sane eius erat indolis, ut credere queamus, illum persuasisse sibi, offensionem in cognatum et amicum suum admissam commodi causa, et in vltum ecclesie sue expromtam, crudele factum non esse. Quicumque enim matrem et genetricem suam morti adiudicauit, atque aliis, eidem veniam culpe et vitam postulanti- bus, diu multamque restitit, contendens, carnem, quæ peccauisset, temporali incommodo esse puniendam, ut spiritus saluus præstaretur in die domini, ut refert de episcopo *Meinwerco* eiusque matre *Athela* auctor *Vitæ Meinweri* T. I. Leibn. p. 540, ille etiam alienus non fuit a voluntate ledendi cognatum, si auaritia atque ambitio rem ita exposcere visa fuit. Tantum valet sæpe species ecclesie amplificanda!

- (9) *Anbematium* villa tribuitur ab abbate *Sarachone* pago *Enterigawi*. Hic cum ex-De villa stiterit in comitatu *Hojano*, simul indicatur, villam *Anbematium* in comitatu *Hojano* olim fuisse repertam. Nostra ætate in eodem comitatu et quidem in præfectura *Stoltzenau* inuenitur vicus quidam *Abnemolten*. Hunc esse villam nostram *Anbematium*, facile credimus. Hæc villa probabilissime eadem est, quæ in præstantissima *Historia dominorum de Munchhausen* p. 209. appellatur *Anwoltzen*, et in qua anno 1561 *Albertus* comes de *Hoya* et *Brockhufen*, confentien-